

**Q**uod quod Ermius recte inquit: amicus certus in re incerta cernitur: Tamen hec duo leuitatis: & infirmitatis plerisque conuincunt aut si in bonis rebus contemnunt amicos aut si in malis deserunt.

**Q**ui igitur utraq; in re graue constantem stabilem se in amicitia prestiterit huc ex maxime raro genere hominum iudicari debemus: & pene diuino.

**N**am: et monendi amici sepe sunt: et oburgandi: et hec accipienda amice cum beniuole fiunt.

**C**uius autem aures clausae ueritati sunt ut ab amico uerum audire nequeat huius salus disperanda est.

**S**ic habendum est: nullam in amicitia pestem esse maiorem: quam adulationem: blandicias: assentionem: quibus. n. multis nominibus est hoc uitium notandum leuium hominum atque fallacium ad uoluptatem loquentium omnia nihil ad ueritatem.

**V**irtus magis et consiliat amicitias: et conseruat.

**A**mare enim nihil est aliud nisi eum ipsum diligere: quem ames: nulla indigentia nulla utilitate quesita.